

Letter 621: 3 September 1536, [Strasbourg], Capito to Jodocus Neobulus

The autograph original is no longer extant, but there is a copy in TB 9, 209, which is the basis of the edition printed in Olivier Millet, 'La correspondance du réformateur strasbourgeois W.F. Capiton avec Jodocus Neuheller, compagnon de table de Luther (1536–1538),' *Bulletin de la Société de l'Histoire du Protestantisme français* 129.2 (1983):78–9.

Quod vestri de insolentia nostrorum queruntur, id non fit temere. Reutlingenses laetiorem equitem habuerunt quam pro nostro comitatu. Deinde unus eorum incerti adhuc animi. Nos graviter eos obiurgavimus. Nam scimus qua in re offenderint. Reliqui omnes modestissimi, hoc scio, non solum contionatores sed etiam equites.

Historiam virginis Francofurdianae confictam esse puto, beneque habet quod constantius respondetur. At eam fabulam hic ostendam amicis ubi vacarit. Hodie enim scribendis litteris et crastino forte matutino insistam. Quid Augustani scripserint scimus per illos. Nos hinc dabimus operam ut graviter ac veraciter agant. Vos videritis ne cuivis credideritis tragice accusanti. Nam est in hominibus mira vanitas et studium dissipandi animorum coniunctionem. Mi Iodoce, mire ferociunt papistae, qui ex eo quod magistratus alienam invadere iurisdictionem nolunt omnino scelerum flagitiorumque habent impunitatem. Omnibus modis da operam ne Dominus Doctor senatui scribat. Nam nemo iam impellet magistratum ut debeat exsecrationem hoc tempore, sed ostenditur tantum, quam blaspheme illi agunt, obstinate pergendo in sua impietate. Verum haec ad Lutherum ceu patronum ac parentem nostrum scribemus, ut et aliunde admoniti sumus. Scribe obsecro aliquando Bonifacio aut Musculo. Mitto ad te dono Palestinam cum indice. Nam alioqui nihil est quod hic habeamus dignum. Munusculum exiguum his tuis inclusi annulum duorum coronatorum prope, quo dono Katharinam a Bora uxorem Domini Doctoris feminam optimam, dumtaxat in signum animi mei erga eam, quae hoc nomine cara merito habetur, quod matronali suavitate atque industria curam communis praeceptoris nostri agit. Cui me officiose commendes. Fortassis et illi scribam. Cetera ex Domino Doctori intelleges. Nam generalis omnino concordia erit. 3 Septembris anno 1536. Dominae iam non scripsi; non enim erat tantum otii.

V. Capito d.